

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS

AD
FUNUS

FILII SENATORII,
*VIRI, IN QVAM, JUVENIS NOBILI PROSAPIA,
EXIMIIS QVE DOTIBUS ORNATISSIMI*

HEINRICI à RYSSEL,

Horâ I. solenni comitatu
proseqvendum

PROCERES CIVESQVE ACADEMICOS


per amanter invitat.



¶


Biogr. erud.
D. 224, 68.

Vit. Erud. f. 19. Vol. 2



Lillorum equidem tanta pulchritudo, tamq; exi-
 mium præter cæteros flores est decus, ut pomposissi-
 mum splendidissimumq; Salomonis vestitum splendo-
 re suo longe prægravet; emarcescunt tamen illa post pau-
 lò imo in clibanum, dicente sic ipsomet Servatore, cum reliquo agri
 feno conjiciuntur. Non absimile qvid plurimis, si oculos per Uni-
 versum hoc circumgyres, evenire videoas juuenibus. Nam dum &
 illi liliorum instar in viridissima ætate exsplendescunt, ingentemq; ve-
 futurorum fructuum de se spem ostentant, morbis insubide corre-
 piti & ipsi elang vescunt mox, spemq; eadeo omnem de se conceptam
 deplorandum in modum intervertunt. Exemplo nobis musteo est
 Vir-Juvenis nobili prosapia, dotibusq; et animi, qvam corporis
 eximiis conspicuus haetenus HEINRICUS à RYSSEL, Senatorius
 filius, qvem supremis hodie honoribus addecorare nos jubet
 pietas. Erat enim & is lilyum florentissimum, pulcherrimasq; spes
 tam inclutæ Genti suæ, qvam universæ huic urbi repræsentabat. Spei
 alias hieroglyphicum flos est, notante Pierio Valeriano; sed primas
 tamen lilyum, sapientum consensu, hoc in genere obtinuit; unde &
 in antiquorum monumentis cum inscriptione Spei Lilium potius,
 qvam alterius floris cujusdam species conspicitur. Lilyum certe tam
 in Antonini Pii, qvam Æmiliani nummis abs Dea quadam præten-
 ditur cum epigraphe: SPES PUBLICA. Sed nullibi frequentius at-
 que manifestius Lili faciem pro Spe advertas, qvam Imperatoris
 Claudii nummis. In illis enim Dea pallam læva sustinens, dextra lili-
 um exhibet cum inscriptione: SPES PUBLICA. Qvod si minora
 conferre cum magnis fas est, erat & RYSSELIUS Lilyum, h.e. SPES
 PUBLICA tam suæ Gentis, qvam totius Urbis; neq; temere corda-
 tiores qviq; jam augurabantur, fore, ut Patrem amplissimum, lau-
 datissimosq; Majores exæqvaret eum, magnumq; & decus & e-
 molumentum Reipubl. Lipsiensi afferret. Sed ecce! & hoc pulcher-
 rimæ spei Lilyum defloruit, spemq; hoc ipso omnem, qvam ceu
 gratussum odorem qvendam de se spirabat, intercepit. Ergone
 vero, inquit qvispiam, eadem hominum fidelium, qvæ liliorum,
 conditio est? Minime vero. Ita enim appositè Servator in nupero Ev-
 angelio: Si gramen agri, qvod hodie extat, & cras cadit in clibanum, DE-
 US ita vestit, nonne vos multo magis? h.e. ut hæc verba ὁ Σαφεῖται
 doctissimus Hispanorum monachus, Ludovicus Granatenfis: Si
 hæc vilia, qvæ hodie qvidem sunt, & cras in clibanum vel sterquilini-
 um conjiciuntur, DEUS sic vestit; quanto magis vos vestiet & ornabit,
 qui

qui pretiosa ejus possessio estis? quos non ideo creavit, ut litorum more brevi tempore subsisteretis, sed ut in æternum cum ipso regnaretis. Neque enim, quorum corpora emarcescunt, & animæ marcoris quid capiunt. Imo vero florent hæ virentque in perpetuum, corporibusque suis, si dies ille restitutionis omnium illuxerit, redundentur. Quæ felicitas cum & animæ RYSELII ornatisimi citra dubium obtigerit, nos, ut mœrorem Parentis prudentissimi attemperemus, honoribus filio desideratissimo hodie per solventis. *Πνεύμων μέρος*
 nostrum haut inviti adjiciemus. Natus est Lipsiæ d. XVII. Martii A.O. R. M. DC. LIX. ex Viro Nobilissimo atque Prudentissimo WILHELMO à RYSEL, Patre Reipubl. Lipsiensis conscripto, & matre singulari exempli fœmina, URSULA, ex FRANCISCO BEXIO, Hæreditario in *Nischwitz / Pöhlitz & Dehnitz /* & tām Senatorum ac mercatorum Lipsiensium, quam Salinatorum Hallensium insigni decore, & ELISABETHA WINCKLERIA progenito. Qvod Majores ejus attinet, Avum agnovit HEINRICUM à RYSEL, Senatorem & Mercatorem hujusdam Urbis primicerium, eumque ROSINÆ POEKELIÆ maritatum; præcavum verò HEINRICUM illum à RYSEL, qui cum Dux Albanus, Hispanici Belgii Gubernator dirum illud ac durum persecutionis fulmen in Evangelicos evibraret, religionis veræ & sinceræ studio exul suapte sponte factus in hanc Philuræam Urbem se contulit, magnosque pietatis suæ fructus una cum posteritate sua, quippe adhuc florentissima, reportavit. Tantorum ergo Majorum surculus ut minime degeneraret, HEINRICI & ipse indeptus nomen est in fonte, lustrico, & tūm pietati, tum bonis artibus in viridi ætate consecratus, facem ipsi præferentibus clarissimis Magistris, NAUBITZER O imprimis, Pastore deinceps apud Illeburgenses montano, & ROELICHIO, qui proximas à Rectore partes in Schola Thoma-na administravit. Jamque non superficiarietam in Latiali lingua, quam historicis, aliisque disciplinis sub moderamine illorum proficerat. Sed ne Patris optimi voluntati, quam Legis instar nunquam non habebat, adversaretur, Mercurialia haut illubens cum Apollinaribus commercia commutavit. Horum autem sacris initiatus est Augustæ Vindelicorum à MATTHÆO EICHHORNIO, mercatore non ignobili, cui cum per tres annos cum dimidio dexterimam navasset operam, post obitum filii junioris à Patre amplissimo fuit revocatus. Redux hinc ex voto factus fidelem & patri ipsi para statam se præbuit, à quo & socius ea propter ad tractanda commercia jam pridem est adlectus. Verum enim verò cum lilyum florentissimum jam esset RYSELIUS, spemque publicam quandam non obscurè præ se ferret, emarcescere eheu! in ipso rerum & sperum flore necesse habuit. Erat alias vel vita Nestorea dignissimus, sive pietatem ejus in DEUM, sive reverentiam erga parentes, sive dexteritatem in obeundis negotiis, sive candorem, humanitatem, dotesque alias animi corporisque eximias spectares. Sed placuit scitissima ejus anima supremo rerum arbitro, qui & spe omnium citius trans-



tranferre illum in paradisum suum voluit. Marcorem huic lilio induxit morbus, qvocum mense hujus anni Februatio conflictari cœpit, qviq; in hec tam tandem cum suppuratione pulmonum & calore incessabili conjunctam degeneravit, Nam & via respirationis facta est angustior, & stomachus ciborum omnium nauseabundus. Agebant eqvidem pro virili sua id Æsculapii, ut materia purulenta, adminiculantibus medicamentis; egereretur, sed deficiebat tamen natura defectis jam viribus, tandemque plane d. XVI. Septembr. succumbebat. Quemadmodum autem non ideo creatum se norat RYSELius, ut litorum more brevi subsisteret tempore, sed ut æternum cum DEO regnaret, ita maturè tam sacri viatici usu, qvām suspiriis devotissimis ad viram alteram se præparabat. Animæ igitur haut dubiè bene est, imò æternū bene in horto illo ultra mundano. Corpus autem tanquam liliū emarcidum in spem resurrectiōnis almæ hodie matri commendabitur; ad qvod condecorandum cum Cives oppidanis suos allaturi sint flores, nos & nostros, ut luctum mœstissimi Dn. Parentis quadanterus alle vemuſ, non parce post horam I. aspergemus. P. P. Liptiæ d. XIX. Septembr.

Anno ær. Chr. M. DC. LXXXIII.

LIPSIAE,
Literis CHRISTIANI SCHOLVINII.

